



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap I. De Fidei essentia, & materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

**EXAMEN PRIMVM****Circa materiam de Fide virtute Theologica.****CAPUT PRIMVM.*****De Fidei essentia, & materia.***

1.  *Vid est Fides? Virtus Theologica à Deo infusa, per quam firmiter assentimur ob Dni autoritatem iis, quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita, ut à nobis credantur.*

2. *Quotnam sunt necessaria, uti Fidei assensus exhibetur?* Quinque. 1. Prædicatio. 2. Externa motiva, quæ rei credulitatem commendent. 3. Voluntatis inclinatio. 4. Fidei lumen. 5. Assensus humanus per modum dispositionis.

Azor.

3. *Fidei quenam materia?* Omnes veritatis articuli, quos proponit Ecclesia à nobis credendos, tanquam à Deo reuelatos. In primis quidem ea quæ propriis terminis in Canonis scripturis continentur (quænam sint Azorius cap. 1. quæ. 4. exponit.) 2. Quæ clare ex scripturis Canonis deducuntur. 3. Quæ ex traditione Apostolica ediscimus. 4. Quæ Concilia legitimè congregata à summoque confirmata Præfule definiunt. 5. Quæ vñanimi consensu à Patribus vi de fide proponuntur, & aduersus hæreticos affirmantur. 6. Quæ euidenter ex tribus proximioribus gradibus deducuntur.

Azor.

4. *Quanam libri Canonici pollent autoritatē?* Non solum Canonici libri, verum singula illorum verba ab Spiritu sancto indicta sunt. Ecclesia definit quinam Canonici habendi de quo Azor. cap. 1. q. 11.

5. *Quid de traditionibus Ecclesia dicendum?* Sunt hæ fidei ac proborum morum doctrinæ ab antiquis Patribus acceptæ ad fidem quidem pertinentes.

6. *Quanam debemus credere?* Septem articulos ad Divinitatem attinentes, septem ad Humanitatem Christi, quorum breuem summam Apostolorum Symbolum exprimit. Porro Dei sapientia, immensitas, prouidentia, Eucharistix Mysterium illo verbo Symboli innuuntur, *Credo in Deum omnijs*

unipotentem. Scio *Azgriam* Eucharistiam asserere eo verbo exprimi, Remissionem peccatorum; quia per Eucharistiam peccata abolentur, primaque gratia aliquando accidentaliter exhibetur.

Azor.

C A P V T I I .

De Fidei necessitate, & ratione medijs, & ratione praecepti.

7. *An Fides sit simpliciter necessaria ratione medijs?* Necessaria quidem est utrū medium. Et opus est, ut sit supernaturalis non solum ea ratione, quod est medium quo credimus; verum & ex parte rei, quæ creditur, videlicet, quia naturaliter agnoscere non potest: v. g. Deum esse trinum & unum.

§. I.

Necessitas fidei ratione medijs.

8. *Num explicita fides Christi sit ad salutem necessaria?* Ante sufficientem Euangelij euulgationem implicita fides sufficiens fuit. At post Euangelium sufficienter euulgatum explicitam fidem mortis, & resurrectionis Christi Dei & hominis veri necessarium esse affirmo. Duxi equidem mortis, & resurrectionis. Neque enim explicita fides omnium Mysteriorum, quæ Ecclesia celebrat, & credit, est necessaria.

9. *An fides Trinitatis medium sit necessarium?* Ita planè; quia quidem post sufficientem Euangelij prædicationem explicita esse debet: quia eodem modo est salutis nostræ fundamentum Trinitatis fides, ac Christi Domini.

10. *Possunt ne salutem adipisci, qui inuincibiliter Trinitatis ac Christi fidem ignorant?* Minime; quia si legis naturalis diuino auxilio fulti obseruationi adhærescerent, Deus prouideret, quonammodo Trinitatis, ac Christi mysteria callebant. Non prouidit de magistro? Signum euidentes, eos legem naturalem violasse, digno damnationis æternæ flagitio. Scio plane huiusmodi homines à crimine infidelitatis posse excusari; quia non omnes infideles eo ex crimine damnantur, cum inuincibili ignorantia teneantur.

§. 2.

11. *Fidei necessitatem ratione præcepti expendas quofo.* Ac Necessarium expone quotnam sunt fidei præcepta generatim? Quintas fidei articulos. 1. Res fidei cognoscere. 2. Certa quædam Mysteria, seu ratione articulos credere. 3. In rebus fidei non dissentire. 4. Fidei præcepti pro